

purascensibus parce arachnoideis, extimis ovatis mediisque apice acuto atropurpureis sphacelatis, intimis linearibus acutiusculis proximas magis superantibus subglabris; receptaculi paleis achaenio glabro parum longioribus; pappi serie interna involucrum subaequante, externa duplo breviora. — *Hokutschizami*. Soo bokf. XV. 49. — *S. discolor* var. Herder l. c. n. 182. ad calcem (patria *Yezo* errore).

Hab. in *Kiusiu* interioris jugo Kundsho-san, pratis alpinis turfosis, medio Octobri defl.; sine loci indicatione, forsitan e *Nippon* exstat a bot. japonico data s. n. *yama bokutsi* var. in herb. Siebold!

Capitulis gracilibus ab affinis statim distincta, ceterum *S. eriolepidi* Bge et *S. discolori* DC. valde propinqua, a priore foliis duplo saltem brevioribus et angustioribus, squamis 7-striatis neque 1-costatis et capitulo duplo minore, a posteriore auriculis foliorum acutis, neque obtusis vel in folio basi truncato nullis, squamis 7-neque sub-5-seriatis, densioribus et minoribus distinguenda. A Herdero pro forma *S. discoloris* habetur, a qua habitu magis remota videtur quam a *S. eriolepide*, quam distinctam credit.

Capitula 13—15 mill. longa floribus purpureis. Corollae limbus parum brevior quam tubus.

Jurinea mongolica. (*Platycephalae* Benth.) Nana, tota floccoso-tomentosa, collo crasso basibus foliorum vetustorum superstitibus ovato-lanceolatis densissime albo-stupposis tecto, foliis radicalibus pinnatipartitis laciniis brevibus lanceolatis, caulinis pinnatilobis; caule ad apicem folioso 1—2-cephalo, rarissime ad 7-cephalo et tunc a basi ramoso; involucri semiglobosi squamis adpressis spinosis arachnoideis, extimis acuminatoovatis, interioribus sensim elongatis; floribus ad 50; achaenio prismatico basi vix attenuato, bis longiore quam lato, laevi, ipso apice pauciseriatim setoso, pappi sesquolongioris setis inaequalibus, 2—3 triente ceteras plerasque superantibus. — *Jurinea* n. sp. Maxim. Ind. Mongol. in Prim. fl. Amur. 483.

Hab. in *Mongolia* chinensi, orientali: ad viam a Kiachta ad Kalgan ducentem, loco dicto Tarjatschi, medio Julio fl. (coll. ross!), et occidentali: in jugo Alaschan boreali, medio Majo flor. (Przewalski! 1872.)

Proxima *J. chaetocarphae* Led. et *J. adenocarphae* Schrenk, sed collo maximo albo-stupposo cauleque

nano statim distincta et achaenio maxima parte glabro diversa. A priore praeterea squamis involucri erectis, a posteriore capitulo minore et achaenio breviora dignoscitur. *J. Pollichii* DC., fructu glabro accedens, pedunculis exsertis et foliorum saepe viridium laciniis elongatis abhorret.

Crepis Benth.

Species japonicae.

Omnes capitulis parvis, involucro minute calyculato insignes.

Radix debilis fibrosa, folia runcinata *C. japonica* Benth.

» crassa napiformis, folia integra vel sinuata. 2.

2. Capitula 10-flora, pappus albus. 3.

» 5-flora, pappus sordidus *C. linguafolia* m.

3. Folia omnia spathulata, argute acute dentata..... *C. Keiskeana* m.

Folia radicalia spathulata, caulina superiora cordato amplexicaulia *C. integra* Miq.

a. Sect. *Youngia* (Cass. gen.) Herbacea, monocarpica.

1. *C. japonica* Benth. Fl. Hongk. 194. et Fl. Austral. III. 679. — Miq. Prol. 122. — *Prenanthes japonica* L. Cod. 5834. — Thbg! Fl. Jap. 302. — *C. lyrata* Benth. in B. et Hook. gen. pl. II. 514. — *P. lyrata* Houtt. Pfl. Syst. IX. 50. (sub *P. japonica*), t. 56. fig. 3. — Thbg! l. c. 303. et *P. multiflora* Thbg! ibid. et Icon. ined.! — *Ixeris lyrata* Miq. Prol. 122. — *Youngia japonica* DC. et *Y. Thunbergiana* DC. A. Gray in Perry's Exped. 314. — *Y. Mauritiana* DC. et *Y. runcinata* DC. Prodr. VII. 1. 192. ex Benth. Fl. Hongk. l. c. — *Lactuca runcinata* C. H. Schltz. in sched. coll. Metz. n. 1358. — *Y. napifolia*, *Poosia striata*, *ambigua* DC. l. c. 193. ex Thw. Enum. Ceyl. — *Oni tabirako*. Soo bokf. XV. 30. — *Lactuca (Mycelis) japonica* Rgl. in Ind. sem. h. Petrop. 1866. 91.

Hab. in *Japonia* (Kleynhoff ex Linnaeo), ubique in incultis, ad fossas, in hortis oleraceis, ad vias vulgaris et in meridionalibus toto anno florens. Vidi e variis locis *Yezo* meridionalis, *Nippon*: Yokohama, Simoda, *Kiusiu* variis locis; praeterea in *Korea*: port Hamilton (Wilford!), *China* boreali (Bunge), insulis *Lutschu* (Wright!), *Formosa* (Oldham!), *India* orientali: montib. Nilagiri (Metz! n. 1358), Assam (Jenkins!), Decan (hb. Wight! n. 1678), *Ceylona* (Thwaites!), *Java* (Thunberg! s. n. *Pren. pani-*

culatae), aliis insulis archipelagi *Malayani*, *Australia boreali*, orientali et australi (ex Benthame), *Afganistano* (Griffith! n. 3364.) nec non insula Mauritii.

Ex autopsia herbarii Thunbergiani, *Upsaliae* servati, nec non iconibus Thunbergii ineditis⁶⁾ (in bibliotheca horti Petropolitani) *Pren. japonica* Thbg. est forma humilior, foliis ambitu obovatis pinnatilibus vel pinnatifidis lobisque obtusis, pedunculis subaphyllis gracilibus, *Pr. multiflora* sistit plantam altiorrem ramosam, caule passim foliato, foliis inferioribus ambitu lanceolatis lobisque acutis, in utraque panicula effusa (partim fructifera in herb. Thbg.), *Pr. lyrata* denique habet caulem robustum adhuc humilem et aphyllum, paniculam (florentem) contractam, folia fere praecedentis, pleraque brevia, nonnulla elongata caulem fere aequantia. Est igitur *Pr. japonica* planta tenera misera, *P. lyrata* magis robusta nondum plene evoluta, *P. multiflora* luxurians rite evoluta, quales, cum foliis forma diversissimis, loco natali ubique colligere licet.

Achaenium perfecte maturum est subcompressum, ita ut de *Y. fuscipappa* sua refert Thwaites. Differentia igitur ab achaenio tereti in *Crepide*, et pl. m. compresso in *Lactuca* a Benthameo petita, in natura evanescit, nam in *Ixeridibus* nonnullis (a Benthameo *Lactucae* adnumeratis) achaenia non magis compressa quam v. gr. in *Cr. japonica* et discrimen unicum utriusque generis quaerendum est in habitu, haud semper distincto.

Cr. fuscipappa Thw.! (Enum. Ceyl. 168. s. *Youngia*) a nostra differt pappo fusciscente et achaenio puberulo, ceterum vero persimilis.

b. Suffruticosae.

Species sequentes, caule primario nullo, secundariis floriferis elongatis lateralibus e collo infra rosulam foliorum radicalium prodeuntibus, sectionem propriam habitu insignem constituunt.

2. *Cr. integra* Miq! Prol. 122. et *Cr. tanegana* Miq. l. c. 362. — *Prenanthes integra* Thbg! Fl. Jap. 300. et Icon. ined. — *Youngia lanceolata* DC. l. c. 193. — *Pr. lanceolata* Houtt. l. c. IX. 49. t. 66. fig. 2. — Anne igitur *Crep. lanceolata* Schltz Bip. in Zoll. Verz. 126.? (nomen)

6) Ex eodem herbario et iisdem figuris ineditis *Prenanthes humilis* Thbg! Fl. Jap. 302., *Youngia humilis* DC. Prodr. VII. I. 194. est *Lapsana parviflora* A. Gray.

Hab. in litoribus maris in *Kiusiu*: prope Nagasaki, in rupibus ad Kosido, Fukuda, in litore argilloso promontorii Nomo, a medio Augusto ad Novembrem fl., Novembri frf. (ipse, Oldham! n. 448.); *Nippon* australi ex aut. japon.; insulis *Usima* et *Tanega* (Small!) archipel. *Lutschu* (Wright!) nec non *China*: ex adverso ins. Formosae, prope Chin-chew (Fortune! n. 27. a. 1845.)

Planta jamdiu, sed valde incomplete nota, modo crescendi tamen peculiari inter omnes mihi notas insignis et hanc ob causam amplius describenda. — Radix speciminum vetustorum lignosa verticalis longissima ab apice in collum digitorum crassum et longum, irregulariter longitudinaliter rugosum, intervallicis semipollicaribus verrucis 6, in verticillum dispositis (vestigiiis caulium nempe) obsessum, apicem versus foliorum et caulium anni praecedentis vestigiis basibusque coronatum, supra quae emittit caules 6 laterales spithamaeos, in verticillum dispositos; sublignosos, fragiles, hypogaeos vel rupibus adpressos horizontales, ex ipso apice denique rosulam terminalem polyphyllam amplam foliorum. Quisque e caulibus lateralibus parte hypogaea omnino aphyllis et laevibus, ubi ex arena surgit rosulam propriam foliorum, cauli paterno analogam, minorem tamen et minus polyphyllam profert, et e hujus centro continuitur in caulem floriferum suberectum, foliis sparsis heteromorphis obsessum. — Tales caules floriferi soli hucusque collecti et descripti sunt. Primo anno caules illi laterales floriferi rosula radicali carent et tantum folia sparsa gerunt, secundo anno ad collum suum, nunc jam paullo incrassatum, rosulam gignunt, sequente et subsequente anno sub rosula sensim magis polyphylla deinceps caules laterales 1—5 producant, primum digitales, demum paterno omnino consimiles. Omnes tamen quantos observavi fibras radicales minime formant, sed a materna radice sustentantur, ita ut adsit colonia regularis cum rosula ampla sterili et radice nutritiva centrali et rosulis ad peripheriam in orbem dispositis, pro aetate plantae aut caules floriferos singulos centrales aut iterum laterales apice rosulifero florentes emittentibus.

Talis structurae primum quasi vestigium vidi ceterum in individujs raris *Chondrilla prenanthoidis* Vill. (*Willemetiae* Gr. et Godr.), ubi enim e caulibus pluribus erectis ex rosula basali ortis unus alterve

post intervallum basale nudum folia nonnulla in verticillum approximata offert, sed hoc rarum est et sine ullo ordine regulari.

Ceterum species nostra quoad foliorum radicalium formam valde polymorpha. Sunt enim mox lanceolata vel oblonga, ut apud Houttuyn delineata, et talia videntur saepius plantae juniori propria, mox plus vel minus obovata apice rotundata, et tunc distinctius longiusque petiolata, petiolo angustius alato. Margo foliorum nunc et saepissime integerrimus, nunc apicem versus hinc vel utrinque in folio uno alterove, rarius in omnibus sinuato-dentatus, nunc a medio ad apicem dentibus rotundato-obtusis instructus, nunc denique in

var. β. pinnatiloba folia rosularum 3 — 6-jugopinnatiloba lobis rotundatis. — *Hama naren, sotetsu na.* Soo bokf. XV. 29. (opt.)

Lusum hunc extremum tamen ipse non observavi.

Rosulae caulium floriferorum tamen multo rarius folia dentata vel lobata offerunt, ita ut forsitan folia lobata senectutis indicium. Folia caulina inferiora sparsa radicalibus analoga, illa ramulos floriferos subtendentia basi dilatata cordata amplexicaulia, inferiora oblonga, summa deltoidea, saepissime obtusa vel obtusiuscula. Folia omnia supra luteoviridia, subtus glaucescentia.

Flores in capitulo 10—12, lutei, diametros capituli florentis fere 2 centim. Fructu maturo squamae involucri interiores omnes cadunt et achaenia calyculo tantum suffulta nudant. Achaenium 3 mill. longum, nigrocastaneum, subteres, 10-striatum, a medio ad apicem minutissime sursum scaberulum, lanceolato-lineare, utrinque attenuatum exteriora in collum breve, interiora in rostrum crassum brevissimum. Margo pappifer albidus collo paullo latior. Pappus 1-serialis, achaenio longior, setis albis minute scaberulis. Embryo collum vacuum non explens, ceterum normalis.

3. *C. Keiskeana.* — Suffruticosa glabra, collo epigaeo crasso apice rosulifero, infra rosulam cauliculos laterales fragiles 1 — 3 verticillatos digitales ad spithamaeos floriferos emittente; foliis subtus glaucis margine revolutis omnibus consimilibus spatulatis, a medio ad apicem argute sinuato-denticulatis dentibus acutiusculis versus apicem incretibus, radicalibus numerosis, caulinis sparsis; cauliculis primum horizontalibus nudis, a medio adscendentibus foliatis,

inflorescentia e corymbis terminali et proximis axillaribus conflata densa polycephala; pedicellis squamatis capitula subaequantibus erecto-patulis; involucreo cylindrico, fructifero immutato, e squamis 5 cum calyculo brevi e squamulis totidem; floribus denis; achaenio (immature) truncato, pappo 1-seriali sordido. — *Adzetō na.* Soo bokf. XV. 28.

Hab. in *Japonia* (Itō Keiske! in hb. Siebold, fl.): *Nippon media* (Tanaka! fl. defl. s. n. *Kidzina giku* in hb. Franchet), *Kino Ohosima* (Oldham! n. 314. a. 1861. fl. incip.).

Affinis *Cr. integrae*, sed omnibus partibus, praeter capitula subaequimagna, minor et gracilior.

Folia radicalia 2—3 poll. longa, 5—7 lin. lata, caulina minora. Capitulum florens diametro 15 q. exc. millim. Modus crescendi omnino praecedentis.

4. *C. linguaefolia* A. Gr. On the bot. of Japan. 398. (sub *Ixeride* cum?)

Hab. in archipelago *Bonin* (Wright!).

Ex exemplis benevole communicatis habitus praecedentium duarum, minus tamen expressus. Collum quidem foliatum ex axillis cauliferum, sed rosula vera deest, illius loco folia infima linguaeformia magis approximata, caules ipsi, quantum judicare possum ex supellectili minus completa, minus regulariter dispositi. Differt praeterea a *C. integra* capitulis minutis (involucreo 5 mill.) 5-floris, floribus ochroleucis, pappo sordido, sed achaenia (valde immatura) sub pappo 1-seriali simili modo in collum constricta.

Lactuca Benth. reform.

Species Asiae orientalis.

Subgen. *Scariola* Benth.

Capitula pluri- vel multiflora. Involucri squamae imbricatae, fructiferae basi incrassatae. Achaenia compressa, lata, acute marginata, abrupte tenuirostria. Flores lutei.

Rostrum achaenio subaequale vel longius. 2.

» dimidio achaenio brevius. 3.

2. Folia runcinato-pinnatipartita. *L. Formosana* m.

» oblonga, caulis ad apicem foliatus . . . *L. Scariola* Bisch.

3. Achaenium area laterali utrinque 1-costatum. 4.

Achaenium area laterali utrinque pluricostatum *L. Raddeana* m.

4. Folia triangulata, rostrum achaenii subobsoletum *L. triangulata* m.

» linearia integra vel oblonga runcinato-pinnatipartita, rostrum distinctum. *L. squarrosa* Miq.

L. Scariola Bisch. b. *hortensis* Bisch. Beitr. z. Fl. Deutschl. u. d. Schweiz. 190.